



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac
de ejus voluntate, & Providentia

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. II. Eadem veritas ex generali Christi redemptione manifestatur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

nisi unus est Deus, omnium hominum curam illi uni incumbere manifestatur. & cum sit natura bonus, consequens est ut omnibus proponat salutem & agnitionem veritatis. Si namque essent plures dii, cogitari posset quod unus Deus haberet curam salvandi aliquos homines, & alius haberet curam salvandi alios: sed ubi unus tantum est Deus, illi uni incumbit cura omnium. Similiter etiam si plures essent mediatores inter Deum & homines, existimaretur quod unus esset mediator pro quibusdam, & alius pro aliis, sed ex quo unus est mediator Dei & hominum ad reconciliandum homines Deo, illi uni incumbit mediare inter Deum & omnes homines. Denique ab effectu manifestat Apostolus, quod etiam mediator vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ex hoc ipso quod dedit seipsum pretium ad redimendum NON ALIQUOS, SED OMNES.

21. Favent etiam S.S. Patres, generaliter & sine exceptione intelligendum esse Apostolum, Deumque velle salutem omnium plane hominum, passim docentes. Nam Clemens Romanus libro 2. Conflit. cap. 59. affirmat se id ab ore ipsius Christi accepisse; & Dionysius cap. 2. Eccl. Hierar. ait sacrorum præfectum Dei similitudine salutem cupere omnibus, & agnitionem veritatis. Item Ignatius Martyr Epist. 6. ad Philadelph. dicit, *Amatorem hominum esse Deum nostrum, & velle omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: propter quod & Solem oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.* Et Origenes libro 4. contra Celsum paulo post initium, *JESUM vocat Medicum universorum, quantum in ipso est; Salvator enim venit omnibus hominibus.*

22. Eandem veritatem tradit Augustinus libro de spiritu & littera quem scripsit contra Pelagianos, cap. 33. dicens: *Vult Deus omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire; non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo bene vel male utentes iustissime iudicentur.* Et Prosper in resp. ad 2. object. Vincentij, ubi ait: *Sincerissime credendum atque profitendum est: Deum velle ut omnes homines salvi fiant: Si quidem Apostolus, cuius ista sententia est, absolutissime præcipit quod in omnibus Ecclesiis piissime custoditur, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur.* Et in resp. ad object. Gallorum sent. 8. hæc scribit: *Qui dicit quod non omnes homines velit Deus salvos fieri, sed certum numerum predestinatorum, durius loquitur quam loquendum est de altitudine inscrutabilis gratia Dei, qui & omnes vult salvos fieri, atque ad agnitionem veritatis venire.* Idem docet in libris de vocatione Gentium, nam libro 2. cap. 25. hæc scribit: *Sive igitur novissima contempleris sæcula, seu prima, seu media, rationabiliter & pie creditur, omnes homines salvos fieri Deum velle, semperque voluisse.* Et cap. 28. *Fit manifestum quod diversis atque innumeris modis omnes homines vult Deus salvos fieri: sed qui veniunt, Dei auxilio diriguntur; qui non veniunt, sua pertinacia relucantur.* Denique Ecclesia in die Parasceves orans pro hæreticis & schismaticis, sic ait: *Omnipotens sempiternus Deus, qui salvos omnes, & neminem vis perire, respice ad animas diabolicâ fraude deceptas: ut omni hæreticâ pravitate depositâ, errantium corda respiciant, & ad veritatis tuæ redeant unitatem.*

§. II.

Eadem veritas ex generali Christi redemptione manifestatur.

Hoc argumentum tangitur à Caietano verbis supra relatis, potestque sub hac forma breviter proponi. Deus vult salvare eos omnes pro quibus Christus passus & mortuus est, seu pro quibus ordinavit mortem & passionem suam: sed Christus mortuus est, & mortem ac passionem suam obtulit, & ordinavit ad salutem, non paucorum tantum, sed omnium, & singulorum hominum: Ergo Deus omnes, & singulos homines, voluntate antecedenti vult salvos esse. Major constat ex eo quod mors & passio Christi, ex voluntate salvandi homines duxit originem. Minor verò probatur ex variis Scripturæ locis, in quibus hæc generalis Christi redemptio aperte declaratur. Dicitur enim ad Romanos 8. *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Ad Rom. 5. *Per unius delictum in omnes homines in condemnationem, & per unius justitiam in omnes homines in justificationem.* 2. ad Corint. 5. *Si unus pro omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt non sibi vivunt, sed ei qui pro omnibus mortuus est.* Denique 1. Joan. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi.* Quibus auctoritatibus adjungi possunt orationes Ecclesiæ, quæ in solemnibus precibus frequenter hæc verba repetit: *Fidelium omnium conditor & redemptor; & in hymnis Ecclesiasticis: Jesu Redemptor omnium.*

Duplici evasione conatur Janfenius tam aperta Scripturæ testimonia eludere. In primis dicit, his locis solum significari, mortem Christi esse pretio & valore per se sufficientem pro omnibus, at non ordinatione Christi, & Dei, oblatam esse pro omnibus.

Secundo respondet, quod quando Christus dicitur mortuus pro omnibus, hoc non debet intelligi pro singulis generum, sed pro genere singulorum: ita ut pro aliquo ex quocumque genere, statu, & conditione, non verò pro omnibus, & singulis in individuo, & in particulari mortuus fuerit.

Verum utraque hæc evasio pugnare videtur contra definitionem Tridentini sess. 6. cap. 3. ubi definit Christum mortuum esse pro omnibus, in eo sensu in quo negabatur à Calvino: Calvinus autem non negabat Christum esse mortuum pro omnibus, quantum ad sufficientiam pretij, neque etiam pro aliquibus ex omni genere & conditione: nam in caput 17. Joannis, utraque evasione utitur ad explicanda Scripturæ loca, in quibus dicitur Christum esse mortuum pro omnibus: Ergo &c.

Præterea utraque hæc responsio efficaciter confutari potest. Nam contra primam inflari potest, quando dicitur Christum dedisse semetipsum redemptionem pro aliquo, hoc ita intelligi, & explicari debet, ut significetur Christum se dedisse in redemptionem, & gratiam illius, & ad ejus utilitatem & salutem: particula enim pro applicatur causæ finali cui, ut constat quando dicitur, quod medicus venit in domum pro salute infirmi: sensus enim est, illum venisse in ejus commodum, & utilitatem, & ad procurandam illi sanitatem: unde cum Scriptura locis citatis dicit Christum mortuum esse pro omni-

bus, hoc debet intelligi in salutem & gratiam omnium.

Adde quòd, si verba illa Scripturæ significarent tantum Christi redemptionem esse ex parte sua pretium sufficiens valore, sed non ordinatione Dei & Christi destinatum in salutem hominum, posset eadem proprietate Christus dici mortuus & crucifixus pro Dæmonibus, cum pretium sanguinis & mortis ejus, utpote valoris infiniti, fuerit de se sufficientissimum ad redimendos non solum homines, sed etiam Dæmones, si voluisset illud ordinare pro eorum salute & redemptione.

28. Contra secundam evasionem est etiam efficax argumentum ex verbis Apostoli 2. ad Corinth. 5. supra relatis: *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt &c.* Quo loco probat quòd omnes & singuli homines mortui sunt, id est contraxerunt debitum moriendi in Adamo, ex eo quòd Christus pro omnibus mortuus est: Atqui omnes omnino distributivè mortui sunt in Adamo, & in eo contraxerunt debitum moriendi: Ergo & Christus mortuus est pro omnibus, & singulis hominibus distributivè, & non solum pro generibus singularum. Quo argumento utitur D. Augustinus libro 6. adversus Julianum cap. 4. ubi probat omnes & singulos homines contraxisse peccatū originale, ex illo loco Pauli, & infert tã verè omnes homines mortuos esse in Adamo, quàm verè pro omnibus Christus mortuus est: Sed omnes & singuli mortui sunt in Adamo: Ergo pro omnibus & singulis Christus mortuus est.

§. III.

Sanctorum Patrum testimonia expenduntur.

29. IN eandem veritatem unanimiter conspirant ISS. Patres, tam Græci, quàm Latini, quorum aliqua testimonia illustriora referre sufficiet. Ex Græcis igitur Nazianzenus orat. 25. ait: *Omnes citra ullam exceptionem instaurati sumus per celestem Adamum: qui primi Ade participes fuimus, & à serpente decepti, & peccato mortui.* Et Chrysostomus homil. 4. in cap. 2. Epist. ad Hebræos: *Vi gratia Dei pro omnibus gustaret mortem: non pro fidelibus tantum, sed pro universo mundo, ipse enim pro omnibus mortuus est.* Similiter Epiphanius hæresi 55. *Pro toto quidem mundo se obtulit ipse victima, ipse sacrificium, ipse sacerdos, ipse altare, ipse Deus, ipse homo, ipse Rex, ipse Pontifex, ipse ovis: omnia id nobis pro nobis factus est, ut nobis omnibus, omnibus modis vita fieret.*
30. Ex Latinis verò idem disertè affirmant Ambrosius serm. in Psalm. 118. versu 64. sic dicens: *Mysticus Sol ille justitia omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus surrexit.* Et Leo Papa serm. 11. de passione, ubi sic ait: *Pro omnibus impiis mortuo Domino, etiam Judas in eo potuisset consequi remedium, si non festinasset ad laqueum.* Et serm. 1. de Nativit. Domini, *Dominus noster peccati mortisque destructor, sicut nullum à reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit.* Prosper etiam libro 2. de vocat. Gent. cap. 16. eandem veritatem aperitissimè tradit, his verbis: *Nulla ratio dubitandi est, Jesum Christum Dominum nostrum pro impiis & peccatoribus mortuum: à quorum numero si aliquis liber inventus est, non est pro omnibus mortuus Christus, sed prorsus pro omnibus mortuus Christus.*
31. Plurima etiam extant Augustini testimonia in ejusdem rei confirmationem, quæ vitandæ consu-

A fionis gratiã, ad quatuor classes reducã. Primi generis ea sunt, quibus S. Doctor disertissimè affirmat pro iis omnibus Christum obiisse, quos in mundi fine judicabit. Omnium summam complectuntur aurea hæc verba quæ habet in Psalm. 95. sub finem: *Judicabit orbem terrarum in aequitate: non partem, quia non partem emit: totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit.* Explicat paulò post quid nomine orbis terrarum intelligat. *Judicabit orbem terrarum in aequitate, & populos in veritate sua. Quæ est aequitas & veritas? Congregabit secum electos suos ad judicandum, ceteros autem separabit adinvicem.* Posturus est enim alios ad dexteram, alios ad sinistram &c. Igitur orbis terrarum nomine, eos omnes intelligit, qui in judicio cum ad dexteram, tum ad sinistram collocabuntur, id est electos omnes ac reprobos, adeoque cum asserit Christum judicaturum totum orbem, quia totum emit, disertè significat, Christum electos ac reprobos omnes judicaturum, quia pro electis & reprobis sanguinem fudit. *Totum judicare habet, quia pro toto sanguinem dedit.*

Addit libro 2. de Symb. ad Cathecum. cap. 8. Christum reprobis, & maxime Judæis ejus crucifixoribus, dicturum in die judicij: *Videtur vulnera quæ infixistis, agnoscitis id latus quod pupugistis, quoniam & per vos, & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis.* Quod Laurentius Justinianus libro ligni vitæ cap. 4. aliis verbis expressit; *Apparebit (inquit) crux in ostensione suæ justitiæ, ut appareat quòd justissimè reprobi sint damnati, ad quos Dominus Jesus in spiritu sic loquetur: Ego propter vos factus sum homo, propter vos alligatus, conspuus, delusus, flagellatus, & crucifixus. Vbi est tantarum mearum fructus injuriarum? Ecce pretium sanguinis mei, quem dedi pro redemptione animarum vestrarum. Vbi est servitus mea, quam pretio sanguinis mei mihi dedistis &c.* Similia habet Cæsarius Arelatenfis homil. 27. ubi etiam asserit, Christum omnibus vulnera sua cum exprobratione ostensurum, quia prima erit in reos sententia reverentiarum præsentia cicatricum.

Testimonia secundæ classis ea sunt quibus Augustinus docet multos reipsa perire & damnari, pro quibus salute donandis Christus mortuus est. Nam in Psalmum 68. sub finem, loquens de Juda proditore, quem constat esse reprobum & damnatum, asserit Christum eum redimere voluisse, atque ut illi vitam æternam conferret, sanguinem suum impendisse: *Christus pati venerat (inquit) & punivit per quem passus est: nam Judas traditor punitus est. Sed nos redemit sanguine suo, & punivit eum de pretio suo. Projecit enim pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus erat, nec agnovit pretium quo ipse à Domino redemptus erat.*

E Nec valet responsio Janfenij dicentis Christum pro reprobis mortuum esse, ut baptismū aut gratiam aliquam temporalem consequerentur, non verò ut ad salutem pervenirent æternam. Nam D. Thomas in cap. 8. Epist. 1. ad Corinth. hæc verba Apostoli: *Peribit infirmus in tua scientia frater pro quo Christus mortuus est.* sic interpretatur: *Peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem salvandum, Christus mortuus est.*

Adde quòd, cum gratia quam in baptismo accipimus, ex natura sua medium sit ad æternam beatitudinem ordinatum; non potest Christus velle ferio ejusmodi gratiam alicui tribuere, nisi ex intentione seu voluntate antecedente, æternæ salutis illi conferendæ.

Ad tertium